De decem viris leproſis, a Salvatore ſanatis & mundatis, tantum regreſſus eſt unus, magnificans Deum, & gratias agens. Luc. 17. 18

Ingrati fuerunt Paulo Domini vel parentes puellæ Pythoniſſæ, a qua ſpiritum malum ejecit Paulus. Magis enim doluerunt de quæſtu amiſſo, quam gaviſi ſunt de dæmone expulſo. Actor. 16 18. & 19

Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. *Rom. 1. 21*

Hoc autem ſcito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, &c. *2. Tim. 3. 1*

Inhoſpitalitas. Vide Hoſpitalitas.

TITULUS XXI.

Inimicitia & Odium. Vide & Invidia.

Poſt peccatum primorum parentum, ſtatim poſuit Deus inimicitias inter ſerpentem & mulierem, & inter utriuſque ſemen. Gen. 3: 15

Rixati ſunt paſtores de Gerar adverſus paſtores Iſaac pro puteo, quem foderunt. Idcirco appellavit Iſaac puteum Inimicitiæ. Ib. 26. 21

Oderat ergo ſemper Eſau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. *Ibid. 27. 41*

Videntes autem fratres ejus (*Joſeph*) quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. *Ibid. 37. 4*

Videns Saul, quod populus alte de David ſentiebat, &c. factus eſt inimicus ejus cunctis diebus. 1. Reg. 18

Poſtquam Amnon oppreſſerat Thamar ſororem, exoſam eam habuit odio magno nimis: ita ut majus eſſet odium, quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. *2. Reg. 13. 15*

Conquerens de Aman ſuperbiſſimo Eſther, dixit Aſſuero: Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman. *Eſther. 7. 6*

Inimicus non paſſim contemnendus eſt.

ET dixit Philiſthæus ad David: Numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo? *1. Reg. 17. 43*

Syri Samariam obſidentes cæduntur a pueris principum provinciarum, rurſumque anno altero in campeſtribus cæduntur. Rex autem Achab a Propheta reprehenditur, quod fœdus cum Benadad rege Syriæ inierit, illumque vivum dimiſerit. 3. Reg. 20. 3. Reg. 21. 20. 4. Reg. 14. 8

Inimico reconciliato non temere credendum eſt.

CUm autem compleſſet David loquens ſermones hujuſcemodi ad Saul, dixit Saul &c. *1. Reg. 24. 17.* Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod ſtulte egerim, & ignoraverim multa nimis. Ibid. 26. 21. 1. Mach. 12. 24. 2. Reg. 3. 26

Inimicorum dilectio. Vide Dilectio inimicorum.

TITULUS XXII.

Iniquitas.

Iniquitas abundabit. Vide & Impii & mali.

DE ſignis autem: Ecce dies venient, in quibus apprehendentur qui inhabitant terram in cenſu multo: & abſcondetur veritatis via, & ſterilis erit a fide regio: & multiplicabitur injuſtitia ſuper hanc, quam ipſe tu vides, & ſuper quam audiſti olim. *4. Eſd. 5. 1*

Quantum enim invalidum fiet ſæculum a ſenectute, tantum multiplicabuntur ſuper inhabitantes mala. *Ibid. 14. 16*

Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet caritas multorum. *Matt. 24. 12*

Scimus quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt. *1. Joan. 5. 19*

TITULUS XXIII.

Injuſtitia.

D*ominus* averſatur omnem injuſtitiam. *Deut. 25. 16*

Si non manſerit in tabernaculo tuo injuſtitia: tunc levare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis. *Job. 11. 14*

Non permanebunt injuſti ante oculos tuos. *Pſal. 5. 6*

Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo. *Ibid. 35. 2*

Injuſti autem diſperibunt ſimul, reliquiæ impiorum interibunt. *Ibid. 36. 38*

Uſquequo --- loquuntur omnes, qui operantur injuſtitiam? *Ibid. 93. 4*

Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam: facientes prævaricationes odivi. *Ibid. 100. 3*

Pro-

Propter injuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. *Pſal. 106. 17*

Virum injuſtum mala capient in interitu (*ſuo*). *Ibid. 139. 12*

Creatura enim tibi Factori deſerviens, exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. *Sap. 16. 24*

Ne æmuleris hominem injuſtum, nec imiteris vias ejus. *Prov. 3. 31*

Non placeat tibi injuria injuſtorum. *Eccli. 9. 17*

Non ſunt beneplacitæ ſubſannationes injuſtorum. *Eccl. 34. 21*

Subſtantiæ injuſtorum ſicut fluvius ſiccabuntur, &c. *Ibid. 40. 13*

Et non manſerit in tabernaculo tuo injuſtitia. *Job. 11. 14*

Non dominetur mei omnis injuſtitia. *Pſ. 118. 133*

Fili, non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ, &c. *Eccli. 7. 3*

Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate: & deprecatio pro peccatis, recedere ab injuſtitia. *Ibid. 35. 5*

Væ qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt, &c. *Iſa. 10. 1*

Væ qui ædificat domum ſuam in injuſtitia. *Jer. 22. 13*

Cum enim averterit ſe Juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injuſtitia, quam operatus eſt, morietur. *Ezech. 18. 26*

Revelatur ira Dei ſuper omnem injuſtitiam &c. *Rom. 1. 18*

Eis, qui in vita ſua injuſte egerunt, dat Deus ſumma tormenta. Sap. 12. 23

Dives injuſte egit, & fremet. *Eccli. 13. 4*

Non placeat tibi injuria injuſtorum. *Eccli. 9. 17*

Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias & injurias, & contumelias, & diverſos dolos. *Ibid. 10. 8*

Revertere ad Dominum, & avertere ab injuſtitia tua. *Ibid. 17. 23*

Erubeſcite --- a ſocio, & amico de injuſtitia. *Ibid. 41. 23*

In corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem injuſtitiæ. *2. Petr. 2. 11*

TITULUS XXIV.

Innocentia.

Innocentia ſua cuique tuenda, & malæ ſuſpiciones amovendæ.

FOrtiſſimus Deus Dominus, ipſe novit, & Iſrael ſimul intelliget; ſi prævaricationis animo hoc altare conſtruximus, non cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti: & ſi ea mente fecimus, ut holocauſta, & ſacrificium & pacificas victimas ſuper eo imponeremus, ipſe quærat & judicet, &c. *Joſue 22. 22. 1. Reg. 1. 14*

Et cum vidiſſet (*Achab*) eum (*ſcilicet Eliam*) ait: Tune es ille, qui conturbas Iſrael? Et ille ait: Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. *3. Reg. 18. 17*

Jerias cuſtos portæ per vices, filius Selemiæ, filii Ananiæ, & apprehendit Jeremiam Prophetam dicens: ad Chaldeos profugis. Et reſpondit Jeremias: Falſum eſt, non fugio ad Chaldæos, &c. *Jerem. 37. 12*

Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Judæi, & qui habitatis Jeruſalem univerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim ſicut vos æſtimatis hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia. *Actor. 2. 14*

Poſt tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cumque conveniſſent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adverſus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jeroſolymis traditus ſum in manus Romanorum. *Ibid. 28. 17*

TITULUS XXV.

Inobedientia. Vide & Obedientia.

Inobedientia ejuſque punitio.

MUlieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. *Gen. 3. 16.* Adæ vero dixit: Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. *v. 17*

Reſpiciensque uxor ejus (*Loth*) poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. *Ib. 19. 26*

Arreptiſque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, poſuerunt ignem & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egreſſuſque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino. *Levit. 10. 1*

Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſi ſpreveritis leges meas, & judicia mea contempſeritis, ut non faciatis ea, quæ a me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum; ego quoque hæc faciam vobis. Viſitabo vos velociter in egeſtate & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras, &c. *Ib. 26. 14*

R 2 Uſque-

Uſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? Querelas filiorum Iſraël audivi. Dic ergo eis; Vivo ego, ait Dominus, ſicut locuti eſtis audiente me, ſic faciam vobis. In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra. *Num.* 14. 27. Quibus Moyſes; Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in proſperum? &c. v. 41

Chore, Dathan, & Abiron ſeditionem movent, hoſque vivos terra abſorbet, illum vero cum ſociis devorat ignis, ſed & alios 1470 *murmurantes conſumpſit incendium. Ibid.* 16

Pergat, inquit, Aaron ad populos ſuos; non enim intrabit terram, quam dedi filiis Iſraël, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis. *Ibid.* 20. 24

Sicut gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, ſi inobedientes fueritis voci Domini Dei veſtri. *Deut.* 8. 20

Cavete ne forte decipiatur cor veſtrum, & recedatis a Domino, ſerviatiſque diis alienis, & adoretis eos: iratuſque Dominus claudat cælum, & pluviæ non deſcendant, nec terra det germen ſuum, pereatiſque velociter de terra optima, quam Dominus daturus eſt vobis. *Ib.* 11. 16. Benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, quæ ego hodie præcipio vobis: Maledictionem, ſi non obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via, quam ego nunc oſtendo vobis, & ambulaveritis poſt deos alienos, quos ignoratis. v. 27

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael. *Ib.* 17. 12

Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. Propheta autem, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. *Ibid.* 18. 19

Maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem: & dicet omnis populus; Amen &c. *Ib.* 27. 16

Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata ejus, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro &c. *Ibid.* 28. 15

Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaveritis ſermones ejus; erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros (*alloquitur Iſraelitas Samuel.*) 1. *Reg.* 12. 15. 2. Reg. 6. 6

Dixitque Saul ad Samuelem: Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. *Ibid.* 15. 24. Cap. 28. 16. 3. Reg. 11. 9

Propheta miſſus de Juda ad Jeroboam, dixit: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, &c. 3. *Reg.* 13. 21. non inferetur cadaver tuum in ſepulcrum patrum tuorum, v. 22. v. 26

Quod cum audiſſet Propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei eſt, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit juxta verbum Domini, quod locutus eſt ei. 3. *Reg.* 13. 26

Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo noſtro, &c. 2. *Eſdr.* 13. 27. Eſther 16. 24

Si autem averſi fueritis, & dereliqueritis juſtitias meas, & præcepta mea, quæ propoſui vobis, & abeuntes ſervieritis diis alienis & adoraveritis eos: evellam vos de terra mea, quam dedi vobis: & domum hanc, quam ſanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis, &c. 2. *Paral.* 7. 19

Sed cum (*Ozias*) roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum: ingreſſuſque templum domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis. *Ibid.* 26. 16. Iratuſque Ozias, & tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus, ſtatimque orta eſt lepra in fronte ejus coram ſacerdotibus in domo domini ſuper altare thymiamatis. v. 19

Et terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis: quia tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt jus, diſſipaverunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram. *Iſa.* 24. 5

Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus veſtris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, &c. *Jerem.* 11. 3. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed abierunt unuſquiſque in pravitate cordis ſui mali: & induxi ſuper eos omnia verba pacti hujus, quod præcepi, ut facerent, & non fecerunt. v. 8

Et factum eſt verbum Domini ad me (*Jeremiam*) dicens: Hæc dicit Dominus: Sic putreſcere faciam ſuperbiam Juda, & ſuperbiam Jeruſalem multam: populum iſtum peſſimum, qui nolunt audire verba mea: & ambulant in pravitate cordis ſui: abieruntque poſt deos alienos, ut ſervirent eis, & adorarent eos, &c. *Ibid.* 13. 9

Si autem non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jeruſalem in die Sabbati: ſuccendam ignem in portis ejus & devorabit domos Jeruſalem, & non extinguetur. *Ibid.* 17. 27. Cap. 26. 4

Exemplo obedientiæ Rachabitarum, præcepta patris ſui licet dura ſervantium, expoſtulat Dominus de pertinaci Judæorum inobedientia adverſus ipſius præcepta: quapropter his prænuntiat Dominus mala, illis autem bona. Ibid. 35. Jonæ 1. 3

Iis

Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non adquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. *Rom.* 1 8. Actor. 7. 39

Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obedientiam, juſti conſtituentur multi, &c. *Rom.* 5. 19. *Vide &* 2. Cor. 10. 6. Tit. 1. 10

In flamma ignis dantis (*Angeli*) vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti. 2. *Theſſ.* 1. 8

TITULUS XXVI.

Inſtabilitas.

VAgus & profugus eris ſuper terram: (*Maledictio Cain.*) *Gen.* 4. 12.

Ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. *Num.* 9. 18

Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles. *Job.* 4. 18. Cap. 15. 15

Non dabit in æternum fluctuationem juſto. *Pſal.* 54. 23

Sicut avis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir, qui derelinquit locum ſuum. *Prov.* 27. 8

Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. *Eccleſ.* 10. 4.

Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. *Eccli.* 5. 11

Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. *Ib.* 11. 12

Stultus ſicut luna mutatur. *Ibid.* 27. 12

Qui implanatus eſt, abundabit nequitia. *Ibid.* 34. 11

Impii autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum. *Iſa.* 57. 20

Dilexit movere pedes ſuos, & non quievit, & Domino non placuit. *Jere.* 14. 10

Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. *Thren.* 1. 8

Quid exiſtis in deſerttum videre: arundinem vento agitatam? *Matth.* 11. 7

Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis: *Luc.* 9. 4

Nolite tranſire de domo in domum. *Ibid.* 10. 7

Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. 1. *Cor.* 15. 58

Numquid levitate uſus ſum? 2. *Cor.* 1. 17

Non eſt in illo Eſt & Non --- ſed Eſt in illo fuit. *Ibid.* v. 18

Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. *Epheſ.* 4. 14

Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis. 1. *Theſſ.* 4. 11

Ut non cito moveamini a veſtro ſenſu. 2. *Theſſ.* 2. 2

Scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos. 2. *Theſſ.* 3. 7

Otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet. 1. *Tim.* 5. 13

Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. *Jacob.* v. 8

TITULUS XXVII.

Intentio.

O*Ccidit Cain Abel; David Goliath; Joab Abner & Amaſiam; Herodes Joannem Baptiſtam; Petrus ſolo verbo Ananiam & Saphiram. Sed conſidera varias intentiones & cauſſas*, Gen. 4. 8. 1. Reg. 17. 2. Reg. 3. 27. c. 20. 9. Matth. 14. 10. Actor. 5.

Abraham riſit in promiſſione filii naſcituri: Sara quoque riſit: ſed riſus Abrahæ fuit commendatus, Sara vero reprehenſus. Gen. 17. 17. Ibid. 18. 12

Dixit Pharao: Peccavi. Exod. 9. 27. *Dixit Saul*: Peccavi. 1. Reg. 15. 24. *Dixit David*: Peccavi. 2. Reg. 12. 13. *Dixit Manaſſes*: Peccavi. 2. Paral. 33. 12. *Dixit Judas etiam* ſe peccaſſe. Matth. 27. v. 4. *Sed affectiones & intentiones cordium valde diverſa erant.*

Similia verba dixit Moyſes in Raphidim, quando petiit populus aquam ad bibendum. Et ad aquas contradictionis. Exod. 17. 4. *Sed prima vice non haſitavit in corde: altera vero vice haſitavit, ut apparet ex pœna.* Num. 20. 6

Ornavit ſe Judith valde curioſe, & omnis illa compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute proveniebat, ſcilicet ad liberandum populum Dei de manibus inimici. Judith. 10. 2

Quod Mardochæus Aman nolebat adorare, vel coram eo genu flectere, non faciebat ex inobedientia vel contemptu, ſed quia divinum honorem nolebat homini mortali deferre, ſicut ipſe teſtatur. Eſther 3. 2.

Intentionem Deus magis reſpicit, quam opus.

CAin *obtulit* de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui. *Sed varia intentione, ut exitus probavit. Gen.* 4. 4

Talia thuribula habuerunt Core & Aſſeclæ, ſicut Aaron, & forte de æque bono vel meliori metallo. Verum Deus non æqualiter acceptavit incenſationem eorum. Num. 16

Elevantes oculos Bethſamitæ viderunt arcam Domini, & gaviſi ſunt, & obtulerunt Domino holocauſtum. Quamvis autem bonum opus facere viderentur, percuſſit eos Deus gravi plaga, eo quod viderunt arcam, quam videre non debebant. 1. *Reg*, 6. 15

Reprobat Dominus per Iſaiam oblationes, quas offerri inſtituit, & hoc propter offerentium pravitates. Unde dicit: Quo mihi multitudo dictimarum veſtrarum? --- manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. *Iſa.* 1. 11

Prætulit Dominus oblationem viduæ, quæ poſuit duo æra minuta in Gazophylacium, muneribus divitum. Luc. 21. 2

Herodes cupiebat videre Jeſum, & viſo eo gaviſus eſt valde, *ſed nullum inde aſſecutus eſt fructum, quia curioſitas vel vanitas erat in cauſſa, non pietas vel caritas. Ibid.* 23. 8

TITULUS XXVIII.

Invidia & Odium. Vide & Inimicitia.

INvidia motus Cain, concidit vultus ejus, & fratrem ſuum Abel occidit, quando vidit munera ejus acceptari a Deo, & non ſua. Gen. 4. 5

Benedixit Iſaac Dominus, & locupletatus eſt valde. Ob hoc invidentes ei Palæſtini omnes puteos --- obſtruxerunt. *Per hoc patet, quod proſperitas hominis cauſſat invidiam malis, (occaſionaliter) Ibid.* 26. 14

Oderat ergo ſemper Eſau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. *Ibid.* 27. 41

Cernens autem Rachel, quod infecunda eſſet, invidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar. *Ibid.* 30. 1. Exod. 1. 8

Fratres Joſeph invidebant ei *animo peſſimo & crudeli, videntes, quod a patre plus cunctis fratribus amaretur, & audientes ſomnia, quæ narrabat. Et nota in ſequentibus, ad quantum facinus ex illa invidia proruperint. Ibidem* 37. 11. *Et ecce quomodo invidia ne propinquis parcit. Vide &* Capit. 49. 23

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. *Lev.* 19. 27

Cum duo viri prophetaverint in caſtris, *Joſue quaſi invidens dixit*: Domine mi, Moyſes, prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? *Num.* 11. 27

Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per inſidias: aut cum eſſet inimicus manu percuſſerit, & ille mortuus fuerit: percuſſor, homicidii reus erit: cognatus occiſi ſtatim, ut invenerit eum, jugulabit. *Num.* 35. 20

Si quis autem odio habens proximum ſuum, inſidiatus fuerit vitæ ejus, ſurgenſque percuſſerit illum, & mortuus fuerit, &c. *tradent illum ſeniores civitatis illius* in manu proximi, cujus ſanguis effuſus eſt, & morietur. *Deut.* 19. 11

Homo delicatus in te, & luxurioſus valde, invidebit fratri ſuo, & uxori, quæ cubat in ſinu ſuo. *Ibid.* 28. 54. Tenera mulier & delicata -- invidebit viro ſuo, &c. v. 56

Percuſſo a David Philiſthæo, cantabant mulieres: Percuſſit Saul mille, & David decem millia. *Invidens Saul* iratus eſt autem nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte. 1. *Reg.* 18. 8

Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. *Sap.* 2. 24.

Neque cum invidia tabeſcente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ. *Ib.* 6. 25

Odium ſuſcitat rixas: & univerſa delicta operit caritas. *Prov.* 10. 12. Abſcondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam inſipiens eſt. v. 18

Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium invidia. *Ibid.* 14. 30

Ne comedas cum homine invido, & ne deſideres cibos ejus. *Ibid.* 23. 6

Vir qui feſtinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egeſtas ſuperveniet ei. *Ibid.* 28. 22

Rurſum contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animadverti patere invidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua eſt. *Eccleſ.* 4. 4

Amor quoque & odium, & invidiæ ſimul perierunt, nec habent partem in hoc ſæculo, &c. *Ibid.* 9. 6

Vere ſtultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia. *Job.* 5. 2

Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim & contumeliam malus hereditabit, & omnis peccator invidus & bilinguis. *Eccli.* 6. 1

Qui ſibi invidet, nihil eſt illo nequius; & hæc redditio eſt malitiæ illius. *Ibid.* 14. 6

Ne fueris mediocris in contentione ex fenore, & eſt tibi nihil in ſacculo: eris enim invidus vitæ tuæ. *Ibid.* 18. 33

Ne extendas manum tuam prior, & invidia contaminatus erubeſcas. *Ibid.* 31. 16

Daniel ſuperabat omnes principes, & ſatrapas. *Unde illi omnes quærebant occaſionem, ut eruerent Danielem ex latere regis. Dan.* 6. 3

Viden-

Videntes principes ſacerdotum miracula, quæ Dominus faciebat, & pueros clamantes: Hoſanna filio David: *indignati ſunt. Matth.* 21. 15. *Vide &* Actor. 5. 17

Sciebat Pilatus, quod per invidiam tradidiſſent *Chriſtum ſacerdotes. Ibid.* 27. 18

Indignatus eſt autem (*filii prodigi frater*) & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum. *Luc.* 15. 28

Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus, &c. *Joan.* 12. 4

Audientes verba Stephani Judæi, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum, *dolentes quod non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui ejus. Actor.* 7. 54. *Vide &c.* 13. *&c.* 17

Sicut in die honeſte ambulemus; non in commeſſationibus -- & impudicitiis, non in contentione & æmulatione. *Rom.* 13. 13

Quod ſi invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem conſumamini, &c. *Gal.* 5. 15

Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, &c. *quæ ſunt opera carnis.* v. 20

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. *Ibid.* 5. 26

Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. *Philip.* 1. 15. 1. Tim. 6. 4

Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem. *Jacob.* 3. 14

Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis. *Ibid.* 4. 2. Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis. v. 5

Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, &c. 1. *Petr.* 2. 1

Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. 1. *Joan.* 2. 11

Nolite mirari, fratres, ſi odit vos mundus. 1. *Joan.* 3. 13. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. v. 15

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. *Ibid.* 4. 10

Invidia Deum provocat.

QUi ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prov.* 17. 5

Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus, & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. *Ibid.* 24. 17

Vir qui feſtinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egeſtas ſuperveniet ei. *Ibid.* 28. 22

Neque cum invidia tabeſcente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ. *Sap.* 6. 25

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. *Galat.* 5. 26

Ubi enim zelus & contentio: ibi inconſtantia, & omne opus pravum. *Jac.* 3. 16

Deponentes igitur omnem malitiam -- & invidias, & omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite; ut in eo creſcatis in ſalutem. 1. *Petr.* 2. 1

Proximum ſupplantat.

RUrſum contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animadverti patere invidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua eſt. *Eccleſ.* 4. 4

Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. *Sap.* 2. 24

Seipſam cruciat.

PArvulum occidit invidia. *Job.* 5. 2

Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium, invidia. *Prov.* 14. 30

Qui ſibi invidet, nihil eſt illo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ illius. *Eccli.* 24. 6

Invocatio Sanctorum. Vide ſub Tit. Sancti, Cultus & Invocatio Sanctorum.

TITULUS XXIX.

Iracundia & Ira.

Ira Dei.

I*Ra Dei* devoravit eos ſicut ſtipulam. *Exod.* 15. 7

Flagravit populus deſiderio carnium: & ideo iratus eſt Deus valde. Num. 11. 1

Num uno peccante, contra omnes ira tua deſæviet? *Deus. Ibid.* 16. 22

Egreſſa eſt ira a Domino, & plaga deſævit. *Ibid.* v. 46

Nec miranda indignatio (*Dei*) in populum (*in deſerto*); cum mihi quoque, *inquit Moyſes*, iratus Dominus propter vos, dixerit: Nec tu ingredieris illuc. *Deut.* 1. 37

Cavete, ne forte decipiatur cor veſtrum, & recedatis a Domino, iratuſque Dominus claudat cælum, & pluviæ non deſcendant, nec terra det germen ſuum, pereatiſque &c. *Ibid.* 11. 16

Reſerventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pejeraverimus. *Joſ.* 9. 20

Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quod averſa eſſet mens ejus a Domino. 3. *Reg.* 11. 9

 Impio

Impio præbes auxilium, & iis qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, & idcirco Iram quidem Domini merebaris: ſed bona opera inventa ſunt in te. 2. *Paral.* 19. 2

Amaſias rex Juda, divino fretus auxilio, Idumæos ſuperavit in bello, & attulit Deos eorum, & adoravit eos --- quamobrem iratus Dominus *eſt contra eum. Ibid.* 25. 14

Magnus enim furor Domini ſtillavit ſuper nos, eo quod non cuſtodierunt patres noſtri verba Domini, *dixit Joſias, auditis verbis, quæ ſcripta erant in libro legis. Ibid.* 34. 21

Omne quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne forte iraſcatur (*Deus*) contra regnum regis & filiorum ejus. *Ita præcepit Artaxerxes gentilis.* 1. *Eſdr.* 7. 23.

Comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati ſunt, & abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te ad iracundiam. 2. *Eſdr.* 9. 25

Deus cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curvantur qui portant orbem. *Job.* 9. 13

Dixit Dominus ad Eliphaz Themaniten: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum. *Ibid.* 42. 7

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta. *Pſal.* 2. 12. *Vide &* v. 5

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. *Ibid.* 6. 2

Quis novit (*Deus*) poteſtatem iræ tuæ? & præ timore tuo iram tuam dinumerare? *Ibid.* 89. 11

De Babylone dicitur: Ecce noviſſima erit in Gentibus, deſerta, invia, & arens. Ab ira Domini non habitabitur, ſed redigetur tota in ſolitudinem. *Jerem.* 50. 12

In Parabola de ſervo nequam, qui noluit miſereri conſervo ſuo, dicitur: Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus. *Matth.* 18. 34. *Qui noluerunt adire cœnam. Vide &* Luc. 14. 21.

Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. *Joan.* 3. 36

Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus. *Rom.* 2. 5

Multum timenda eſt ira, quæ oſtendetur in die judicii. Apoc. 6. nam tunc, Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus & liber, *immo omnes impii abſcondent ſe* in ſpeluncis *&* in petris montium, & *dicent* montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare? v. 15

Ira hominis mala, & Iracundia, quantum mali pariant.

IRatuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus, &c. *Gen.* 4. 5

Audiens Saul poſt victoriam commendari David, iratus eſt --. nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo, &c. 1. *Reg.* 18. 8

Venit ergo Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth. 3. *Reg.* 21. 4

Poſt facile & ſalubre conſilium Eliſei, Iratus Naaman recedebat, dicens; Putabam, quod egrederetur ad me, & ſtans invocaret Nomen Domini Dei ſui, &c. 4. *Reg.* 5. 11

Hanani Propheta venit ad Aſa, & increpavit eum, quia confiſus erat in Benadad rege Syriæ: Iratuſque Aſa adverſus Videntem, juſſit eum mitti in nervum. 2. *Paral.* 16. 10

Sacerdotes arguebant Oziam, volentem adolere incenſum, Iratuſque Ozias, tenens in manu thuribulum --- minabatur *illis. Ibid.* 26. 19

Cum audiſſet Sanaballat, quod ædificaremus murum (*Jeruſalem*) iratus eſt valde, & motus nimis ſubſannavit Judæos. 2. *Eſdr.* 4. 1

Cum reverſus eſſet rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blaſphemiam ſuam, & iratus multos occideret ex Filiis Iſrael. *Tob.* 1. 21

Tobia dicente de hædo balante: Videte ne furtivus ſit, &c. Uxor ejus irata, reſpondit: Manifeſte vana facta eſt ſpes tua, &c. *Ibid.* 2. 22

Nuntiatum eſt Holoferni, quod filii Iſrael prepararent ſe ad reſiſtendum ei, & furore nimio exarſit in iracundia magna. *Judith.* 5. 2. *Vide* 1. Mach. 3. 31

Cum dixiſſet Achior magnam eſſe potentiam Dei Iſrael, irati ſunt omnes Magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum. *Ibid.* v. 26

Quod cum audiſſet Aman -- quod Mardochæus non flecteret ſibi genu --- iratus eſt valde, & pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus ſuas. *Eſther.* 3. 5

Et iratus, indignatuſque; eſt Eliu.. adverſum Job, eo quod juſtum ſe eſſe diceret coram Deo. *Job.* 32. 2.

Vere ſtultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia. *Job.* 5. 2

Iraſcimini, & nolite peccare. *Pſal.* 4. 5

Deſine ab ira, & derelinque furorem, &c. *Pſal.* 36. 8

Fatuus ſtatim indicat iram ſuam: qui autem diſſimulat injuriam, callidus eſt. *Prov.* 12. 16

Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium, invidia. *Ibid.* 14. 30

Vir iracundus provocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. *Ibid.* 15. 18

Qui meditatur diſcordias, diligit rixas, & qui exaltat oſtium (ſc. os ſuum) quærit ruinam. *Ibid.* 17. 19

Angelus autem crudelis mittetur contra eam (*ſcilicet iracundiam.*) *Ibid.* 17. 11

Qui

Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum: & cum rapuerit, aliud apponet. *Prov* 19. 19.

Melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa & iracunda. *Ib.* 21. 19

Sicut carbones ad prunas & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. *Ib.* 26. 21

Grave eſt ſaxum & oneroſa arena: ſed ira ſtulti utroque gravior. *Ib.* 27, 3

Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo. *Ibid.* 22. 24

Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: impetum concitati ferre quis poterit? *Ibid.* 27. 4

Vir iracundus provocat rixas: & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum proclivior. *Ibid.* 29. 22

Qui provocat iras, producit diſcordias. *Ibid.* 30. 33

Ne ſis velox ad iraſcendum: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. *Eccleſ.* 7. 10.

Aufer iram a corde tuo, & amove malitiam a carne tua. *Ib.* 11. 10

Ab hac (*a ſapientia*) ut receſſit injuſtus in ira ſua, per iram homicidii fraterni deperiit. *Sap.* 10. 3

Iracundia enim animoſitatis illius, ſubverſio illius eſt. *Eccli.* 1. 28

Eſt correptio mendax in ira contumelioſi. *Ibid.* 19. 28

Quam bonum eſt arguere, quam iraſci. *Ibid.* 20. 1

Non eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. *Ibid.* 52. 22 *Vide &* v. 29. & c. 26. 11

Memento noviſſimorum, & deſine inimicari, &c. *Ibid.* 28. 6. Si ſufflaveris in ſcintillam, quaſi ignis exardebit: & ſi expueris ſuper illam, extinguetur; utraque ex ore proficiſcuntur. v. 14. v. 11. & 23

Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus. *Ibid.* 30. 26

Principes Juda, putantes quod Jeremias fugeret ad Chaldæos, irati ſunt contra eum, & cæſum miſerunt in carcerem. *Jere.* 37. 12

Nabuchodonoſor in furore & in ira magna præcepit, ut perirent, *& interficerentur* omnes ſapientes Babylonis, *pro eo ſcilicet, quod ſomnium ſuum ei non poterunt indicare*. Dan. 2. 12. *Vide &* cap. 3. 19

Arguit Dominus Jonam, quia iraſcebatur ſuper Ninivem & hederam, Jona 4.

Tortores Eleazari audientes verba conſtantiæ ipſius, in iram verſi ſunt, qui paullo ante fuerant mitiores. 2. Mach. 6. 29

Poſt ſeptimi fratris verba, rex Antiochus accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudelius deſæviit; indigne ferens ſe deriſum. *Ib.* 7. 39

Videns Antiochus, quod non poterat ſpoliare Pentapolim civitatem, Elatus autem in iram, arbitrabatur ſe injuriam illorum, qui ſe fugaverant, poſſe in Judæos retrorquere. *Ibid.* 9. 4

Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet a Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros &c. *Matth.* 2. 16

Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, &c. *Ibid.* 5. 21

Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, invidiæ, &c. ſunt opera carnis &c. *Galat.* 5. 20

Iraſcimini, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. *Epheſ.* 4. 26

Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de corde veſtro. *Coloſſ.* 3. 8

Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem. *ad Titum* 1. 7

Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur. *Jacob.* 1. 19

Facile ſedatur.

REſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem. *Prov.* 15. 1

Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat. *Ibid.* 26. 10

Fructuoſe devitatur.

NOn te ergo ſuperet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te. *Job.* 36. 18

Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo: ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. *Prov.* 22. 24

Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem: & qui provocat iras, producit diſcordias. *Ibid.* 30. 33

Ne ſis velox ad iraſcendum: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. *Eccleſ.* 7. 10

Aufer iram a corde tuo, & amove malitiam a carne tua. *Ibid.* 11. 10

Cor hominis immutat faciem illius, ſive in bona, ſive in mala. *Eccli.* 13. 31

Quam bonum eſt arguere, quam iraſci! *Ibid.* 20. 1

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. *Matth.* 5. 22.

Non voſmetipſos defendentes, cariſſimi, ſed date locum iræ. *Rom.* 12. 19

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, clamor, & blaſphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. *Epheſ.* 4. 31

Ira

Ira alterius cedendum potius quam repugnandum.

NOli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo: ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. *Prov.* 22.24

Vir iracundus provocat rixas: & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum proclivior. *Ibid.* 29.22

Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in deſertum: quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis, & ubi non eſt adjutorium, elidet te. *Eccli.* 8.19

Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, &c. *Matth.* 2.13. Vide Gen. 27.42

Ira hominis ex Zelo. Vide & Zelus.

C*Um loqueretur Moyſes Pharaoni, & ille nollet audire*, exivit a Pharaone iratus nimis. *Exod.* 11. 9.

Præcepit Moyſes filiis Iſrael, ut nullus de Manna relinquat uſque mane. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit: & iratus eſt contra eos Moyſes. *Ibid.* 16. 15

Revertens Moyſes, Cumque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros: iratuſque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. *Ibid.* 32. 19

Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyſes, exuſtum reperit, iratuſque contra Eleazar & Ithamar --- ait: Cur non comediſtis &c. *Lev.* 10. 16

Videns Moyſes rebellionem Core & complicum ejus, iratus valde, ait ad Dominum: Ne reſpicias ſacrificia eorum. *Num.* 16.15

Conſiderans Jonathas filius Saul nequitiam patris ſui contra David, ſurrexit a menſa in ira furoris, & non comedit in die Calendarum ſecunda. 1. *Reg.* 20. 34

Audita David parabola Prophetæ Nathan, iratus indignatione --- adverſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc. 2. *Regum* 12. 5.

Eliſeus iratus fuit contra Joas, eo quod non percuſſiſſet terram ſagitta quinquies, aut ſexies, ut totam deſtruxiſſet Syriam. 4. *Reg.* 13. 19

Audiens Nehemias clamorem populi, propter uſuras, quas exigebant optimates, iratus eſt nimis. 2. *Eſ r.* 5. 6

Audita querimonia, quam dixit Eſther de Aman, qui omnes Judæos procurabat occidi, Rex Aſſuerus ſurrexit iratus de loco convivii. *Eſther* 7.7

T I T U L U S XXX.

Iter ſalutis & perditionis.

NOn ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio, plurimorum adquieſces ſententiæ, ut a vero devies. *Exod.* 23.2

Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. *Prov.* 4.14

Juſtorum autem ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem &c. *Ibid.* v. 18

Via impiorum tenebroſa: neſciunt ubi corruant. *Ibid.* v. 19

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. *Ibid.* v. 25

Dirige ſemitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. *Ibid.* v. 26

Averte pedem tuum a malo: vias enim, quæ a dextris ſunt, novit Dominus; perverſæ vero ſunt, quæ a ſiniſtris ſunt. *Ibid.* v. 27

Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. *Ibid.* 5. 21

Iter autem impiorum decipiet eos. *Ibid.* 12. 26. & 28

Iter pigrorum (*ſc. impiorum*) quaſi ſepes ſpinarum: via juſtorum abſque offendiculo. *Ib.* 15.19

Vir prudens dirigit greſſus ſuos. *Ibid.* v. 21

Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. *Ib.* 16. 7.

Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. *Eccli.* 5. 11

Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala ſua in te: ipſe enim ſecundum voluntatem ſuam vadit, & ſimul cum ſtultitia illius peries. *Ibid.* 8. 18

In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides. *Ibid.* 32. 25

Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. *Matth.* 7. 13

Quam anguſta porta, & arcta eſt via, (*difficilis*,) quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inveniunt eam. *Ibid.* v. 14

Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes. *Epheſ.* 5. 15

Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. *Hebr.* 12. 13

T I T U L U S XXXI.

Judicium.

Judicia Dei occulta.

F*Ilii Jacob fratrem Joſeph extinguere decreverunt, ſed Deo diſponente ipſum ſuper ſe ipſos exaltaverunt.* *Iſa.* 37. & 41

Mirante Joſeph, & cauſſam ignorante, Jacob in filiorum ejus benedictione ſuper Ephraim poſuit manum dextram, ſuper Manaſſen ſiniſtram. *Ibid.* 48. 14

Sciebat Dominus Pharaonem non obediturum mandatis ſuis, & tamen ipſum per Moyſen faciebat requiri. *Ibid.* 5. & 6

Sic etiam antequam educeret Dominus filios Iſrael ex Ægypto, longo tempore, & multoties eos affligi & flagellari permiſit. Nam permittit Dominus reprobos indurari, & electos affligi, ut miraculoſa operetur; & inde cognoſcatur amplius, & laudetur. *Ibid.* c. 1. &c.

Magi & malefici Pharaonis, Deo permittente, fecerunt ſigna in Ægypto, ſicut Moyſes, quoad plura. *Ibid.* 7. 11

Toties promiſit Dominus filiis Iſrael terram illam lacte & melle manantem, & tamen duo tantum de illis, Caleb & Joſue, ad illam pervenerunt, reliqui vero non, ſed tantum parvuli eorum. *Num.* 14. 38

Moyſes, qui toties populum peccantem reconciliavit Deo, peccavit ſemel ad aquas contradictionis, & non obtinuit pro ſe ipſo, ut intraret terram promiſſionis. *Ibid.* 20. 12

Hoc ipſo, quod filii Iſrael propter peccata ſupermanſerunt quadraginta annis in deſerto & amplius, magnificatus eſt Deus qui eos tamdiu pavit, & eorum veſtimenta a conſumptione ſervavit, & tandem eos in terram promiſſionis mirabiliter introduxit. *Joſue* c. 2. &c. Vide Deut. 8. 4

De gentibus, qui habitant in terra promiſſionis dicitur: Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent: & non mererentur ullam clementiam, ac perirent &c. *Ibid.* 11. 20

Filii Iſrael contra filios Benjamin de conſilio & voluntate Domini prœliantes bis debellati fuerunt, ſed illos poſtea pene penitus deleverunt. *Judic.* 20. 23

Permiſit Deus arcam capi ab incircumciſis, ubi multa miracula fecit, & cum reduceretur, Bethſamitæ cum gaudio receperunt eam; quia vero viderant eam, percuſſit Dominus ſeptuaginta viros de principibus, & 50000. plebis. 1. *Reg.* c. 4. 5. & 6

Nullus erat in populo melior quam Saul quando fuit a Domino ſignanter & ſpecialiter electus c. 9. 17 *& tamen cito poſt peccavit, & fuit a Deo projectus.* 1. *Reg.* 15. 26

David minimus inter fratres, & quaſi nullius reputationis: tamen a Deo vocatus & electus populum Dei gubernavit, qui totam illius progeniem ſublimavit. *Ibid.* 16. 12

Præcepto Domini per Ahiam Prophetam præfectus eſt Jeroboam ſuper decem tribus, qui tamen populum ad idololatriam malitioſe induxit. 3. *Reg.* 11. 29. & 12. 18. Vide & 4. Reg. 10

Tobias poſt tam pia opera miſericordiæ, quibus ſollicitus erat, excæcatus eſt: cujus cauſſam non intelligentes amici ejus, ſcandalizati, inſultabant ei. Sic etiam mirabantur & ſcandalizabantur amici Job ſuper eum, quod videbant tam graviter eum afflictum. *Tob.* 2. 10. &c. Vide ipſius librum.

Væ Aſſur virga furoris mei &c. *Sic divina juſtitia punit interdum malos homines per pejores, ſicut filios Iſrael & Juda per Nabuchodonoſor & Chaldæos.* *Iſa.* 10. 5

Voluit Dominus puer exiſtens, in Ægyptum deferri a facie Herodis & permiſit loco ſui innocentes occidi. Sed in hoc ipſis infantibus melius providit, facti quidem Martyres primi. *Matth.* 2. 1. &c.

Fecit Dominus virtutes & miracula in Chorozain & Bethſaida, ubi parum profuit: & non fecit in Tyro & Sydone, ubi, ſi feciſſet, multum profuiſſet. *Matth.* 11. 21

De Apoſtolis incarceratis videri poſſet aliquibus infirmis, quod Deus tempore novellæ fidei non debebat talia permiſiſſe, ſed ex hoc ipſo fideles fuerunt mirabiliter conſolati, & adverſarii fidei confutati. *Actor.* c. 4

Judicabunt Sancti de hoc mundo.

JUdicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. *Sap.* 3. 8

Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. *Ibid.* 5. 1

Jeſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. *Matth.* 19. 28

An neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis ſæcularia. 1. *Cor.* 6. 2

Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii. *Judæ* v. 14

Judicium temerarium. Vide Suſpicio.

Judicia humana recta & perverſa.

INjuſte præcepit Judas Thamar nurum ſuam comburi. Gen. 38. 24

De duodecim bobus & ſex plauſtris nullum dedit Moyſes filiis Caath, licet eſſent ſibi propinquiores, ſed totum dedit aliis Levitis, eo quod iſti amplius indigebant, qui graviora portabant. Num. 7. 6

De filiis Samuel dicitur: Declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 1. Reg. 8. 3

Injuſte protulit David ſententiam contra Miphiboſeth abſentem, ad verbum Siba, ipſi David Xenia offerentis. Verumtamen poſtea cognita cauſſa veritate voluit iniquam ſententiam penitus revocare. 2. Reg. 16. 4. & 19. 29

Salomon recte judicavit de duabus mulieribus, quarum qualibet contendebat ſe unius infantis eſſe matrem. 3. Reg. 3. 23

De ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris: & in judicio peccantium ne conſiſtas. Eccli. 11. 9

Quia Jeremias a Domino prophetabat, Jeruſalem capiendam eſſe a Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ Regi: Rogamus ut occidatur homo iſte. *Qui reſpondit eis:* Ecce ipſe eſt in manibus veſtris: nec enim fas eſt regem vobis quidquam negare. Jerem. 38. 1

Nabuchodonoſor præcepit, ut perirent omnes ſapientes Babylonis, eo quod ſomnium non poterant indicare. Dan. 2. 12

Cum accuſaretur Menelaus in judicio coram Antiocho, per pecuniam quam promiſit, abſolutus eſt, accuſatores ejus iniqua morte damnati. 2. Mach. 4. 23.

Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: &c. Matth. 7. 1

Si autem ſciretis quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium: nunquam condemnaſſetis innocentes. Ibid. 12. 7

Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date & dabitur vobis, &c. Luc. 6. 37

Venit enim Joannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum; amicus publicanorum & peccatorum. Ibid. 7. 33

Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate. Joan. 7. 24. Deut. 1. 16

Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo (*Chriſtus*) a Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. Alii autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos. Ibid. 9. 16

Princeps ſacerdotum præcepit percutere os Pauli. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti? Actor. 23. 3

Ut vero viderunt Barbari pendentem beſtiam (*ſcilicet viperam*) de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere. Actor. 28. 4

Propter quod inexcuſabilis es o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. Rom. 2. 1

Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere eum. Ibid. 14. 4. Non ergo amplius invicem judicemur: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Ibid. v. 13

Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo. 1. Cor. 4. 5

Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu; & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 1. Tim. 5. 21

Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, ſed judex. Jac. 4. 11

Judicium divinum.

EGo ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Exod. 20. 5

Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere. Deut. 32. 39

Sapiens corde eſt, & fortis robore: quis reſiſtit ei, & pacem habuit? Job 9. 4

Excelſior cælo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terra menſura ejus, & latior mari. Si ſubverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? *vel quis dicere poteſt: cur ita facis?* Ibid. 11. 8

Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus. Quis poterit ſcrutari vias ejus? aut quis poteſt ei dicere: Operatus es iniquitatem? Ibid. 36. 22

Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo? Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt. Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. Ibid. 41. 1

Domi-

Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo. Pſ. 23. 1

Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Ibid. 75. 8

Tu dominaris poteſtati maris. — Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum — Tui ſunt cæli, & tua eſt terra. Ibid. 88. 10

Dominus in cælo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur. Ib. 102. 19

Quis enim dicet tibi: Quid feciſti? aut quis ſtabit contra judicium tuum? Sap. 12. 12

Non enim eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas quoniam non injuſte judicas judicium. Neque rex, neque tyrranus in conſpectu tuo inquirent de his, quos perdidiſti. Ibid. v. 13

Omne, quod voluerit, faciet: & ſermo illius poteſtate plenus eſt: nec dicere ei quiſquam poteſt: Quare ita facis? Eccleſ. 8. 3

Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul. Deus ſolus juſtificabitur, & manet invictus rex in æternum. Eccli. 18. 1

Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare? & manus ejus extenta: & quis avertet eam? Iſa. 14. 27

Et ab initio ego ipſe, non eſt qui de manu mea eruat: operabor, & quis avertet illud? Ib. 43. 13

Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu feciſti cælum & terram in fortitudine magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum: qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos: fortiſſime, magne, & potens &c. Jerem. 32. 17

Quis eſt enim ſimilis mei? & quis ſuſtinebit me? & quis eſt iſte paſtor, qui reſiſtat vultui meo? Ibid. 50. 44

Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina ſua, & occidam in te juſtum & impium. Ezech. 21. 3

Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. Sap. 13. 16

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Matth. 10. 28

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Ibid. 28. 18

In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut, & mortuorum, & vivorum, dominetur. Rom. 14. 9

Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Ibid. v. 11

Unus eſt legiſlator & judex, qui poteſt perdere, & liberare. Jac. 4. 12

Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſæcula regnum tuum: quoniam tu flagellas, & ſalvas: deducis ad inferos, & reducis: & non eſt, qui effugiat manum tuam. Tob. 13. 1

Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. Pſal. 144. 13

Non eſt ſimilis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex Gentium? Jerem. 10. 6

Opus artificum univerſa hæc. Dominus autem Deus verus eſt: ipſe Deus vivens & Rex ſempiternus. Ibid. v. 9

Ab indignatione ejus commovebitur terra: & non ſuſtinebunt gentes comminationem ejus. Ibid. v. 10

Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur. Dan. 7. 14

Et regnabit in domo Jacob in æternum: & regni ejus non erit finis. Luc. 1. 33

Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Ibid. v. 37

Judicium divinum irreprehenſibile.

D*Eus perſonam non accipiet, nec munera.* Deut. 10. 17

Porro Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam. 1. Reg. 15. 29

Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico. Ibid. 16. 7

Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas &c. 2. Paral. 19. 7

Juſtus es Domine, & omnia judicia tua juſta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, & veritas, & judicium. Tob. 3. 2

Verebar omnia opera mea: ſciens, quod non parceres delinquenti. Job 9. 28

Abſit a Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias ſingulorum reſtituet eis. Ibid. 34. 10

Vere enim Deus non condemnabit fruſtra, nec Omnipotens ſubvertet judicium. Ib. v. 12

Tu reddes unicuique juxta opera ſua. Pſal. 61. 13

Judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate. Ibid. 97. 9

Juſtus

Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. *Pſal.* 118.137

Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt. *Prov.* 16.11

Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. *Sap.* 6.8. Eccli. 35.16. Actor. 10.34

Non ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet: ſed judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. *Iſa.* 11.3

Et ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura. *Ibid.* 28.17

Et reddam eis ſecundum opera eorum, & ſecundum facta manuum ſuarum. *Jer.* 25.14

Ecce omnes animæ, meæ ſunt: ut anima patris, ita & anima filii mea eſt: Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. *Ezech.* 18.4

Idcirco unumquemque juxta vias ſuas judicabo domus Iſrael, ait Dominus Deus. *Ib.* v. 30.

Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundum veritatem. *Rom.* 22. & 11

Qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. *Ibid.* v. 6

Unuſquiſque enim onus ſuum portabit. *Gal.* 6.5

Unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber. *Ephеſ.* 6.8

Et ſi patrem invocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundum uniuſcujuſque opus, in timore incolatus veſtri tempore converſamini. 1. *Pet.* 1.17

Verbis Deus non fallitur in ſuo judicio.

NOn parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. *Job* 47.3

Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde ſuo: Non requiret. *Pſ.* 9.13

Nec adquieſcit cujuſquam precibus. *Prov.* 6.35

Munere non decipitur.

QUi confidunt in virtute ſua. *Pſal.* 48.7

Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem ſuam. Et pretium redemptionis animæ ſuæ. *Ibid.* v. 8

Nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. *Prov.* 6.35

Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. *Ezech.* 7.19 Vide Prov. 11.4

Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram. *Soph.* 1.18

Ego enim Dominus, & non mutor. *Malach.* 3.6

Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. *Matth.* 16.27

Judicium divinum inevitabile ob ſcientiæ claritatem: cogneſcit enim omnia generaliter.

OCuli enim ejus ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. *Job* 34.21

Non ſunt tenebræ, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem. *Ibid.* v. 22

De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum. *Pſal.* 32.13

Qui finxit ſingillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. *Ibid.* v. 15

Quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. *Ibid.* 138.12

Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. *Prov.* 5.21

Ipſe agnoſcit omnem operam hominis. *Eccli.* 15.20

Et omnia opera illorum velut ſol in conſpectu Dei: & oculi ejus ſine intermiſſione inſpicientes in viis eorum. Non ſunt abſconſa teſtamenta per iniquitatem eorum, & omnes iniquitates eorum in conſpectu Dei. *Ibid.* 17.16. c. 23.29

Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus. A ſæculo uſque in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu ejus. *Ib.* 39.24. Vide & c. 42.20

Putaſne Deus e vicino ego ſum, dicit Dominus? & non Deus de longe? Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? *Jerem.* 23.23

Fortiſſime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu: cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique ſecundum vias ſuas, & ſecundum fructum adinventionum ejus. *Ibid.* 32.18

Certe vides, fili hominis, quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris, unuſquiſque in abſcondito cubiculi ſui. Dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. *Ezech.* 8.12

Ipſe revelat profunda, & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta: & lux cum eo eſt. *Dan.* 2.22

Et erit in tempore illo: ſcrutabor Jeruſalem in lucernis: & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis: qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet bene Dominus, & non faciet male. *Soph.* 1.12

Domi-

Dominus juſtus, in medio ejus non faciet iniquitatem: mane mane judicium ſuum dabit lucem, & non abſcondetur: neſcivit autem iniquus confuſionem *ſuam. Soph.* 3.5

Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii: (*& humiliant*) viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3.5

Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo. *Hebr.* 4.12

Scrutatur corda ſpecialiter.

HOmo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 1. *Reg.* 16.7

Redde unicuique ſecundum vias ſuas, quas noſti eum habere in corde ſuo: (Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum) Ut timeant te, & ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris. 2. *Paral.* 6.30

Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt: ſi æquitas judicii, nemo audet pro me teſtimonium dicere. *Job* 9.19

Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. *Ibid.* 40.2

Scrutans corda & renes Deus. *Pſal.* 7.10

Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. *Ibid.* 33.16

Ipſe novit abſcondita cordis. *Ibid.* 43.22

Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem non audit? aut qui finxit oculum, non conſiderat? *Ibid.* 93.8

Dominus ſcit cogitationes hominum: quoniam vanæ ſunt. *Ibid.* v. 11

Non eſt occultatum os meum a te, quod feciſti in occulto. Imperfectum meum viderunt oculi tui. *Ibid.* 138.15

Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda Dominus. *Prov.* 21.2. Vide & c. 16.2

Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit, redde que homini juxta opera ſua. *Ibid.* 24.12

Quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus: & linguæ ejus auditor. *Sap.* 1.6

Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. *Jerem.* 17.10. c. 11.20

Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operam hominis. *Eccli.* 15.20. Jer. 20.12

Non dicas: A Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura. *Ibid.* 16.16

Ecce cælum, & cæli cælorum, abyſſus, & univerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commovebuntur, montes ſimul & colles, & fundamenta terræ: cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur. Et in omnibus his inſenſatum eſt cor: & omne cor intelligitur ab illo: & vias ejus quis intelligit? *Ibid.* v. 18

Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita: ſic & poſt perfectum reſpicit omnia. *Ibid.* 23.29

Non te juſtifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipſe eſt, & penes regem noli velle videri ſapiens. *Ibid.* 7.5

Abyſſum & cor hominis inveſtigavit. *Ibid.* 42.18

Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo ullus ſermo. *Ibid.* v. 20

Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda: & dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua. *Apoc.* 2.23

Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens — Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? *Ibid.* 15.3

Quoniam judicia tua manifeſta ſunt. *Ibid.* v. 4

Judicium extremum Dei, & quemadmodum Chriſtus in fine mundi judicaturus eſt.

Vide & Dies noviſſimus.

DOminum formidabunt adverſarii ejus; & ſuper ipſos in cælis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. 1. *Reg.* 2.10

Statuit (*Deus*) diem in quo judicaturus eſt orbem. *Actor.* 17.31. Iſa. 3.13. Judæ v. 14

Judicium extremum admirabile, ob judicis maieſtatem.

DOminus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes — reges eos in virga ferrea. *Pſal.* 2.7

Exurge Domine, & non confortetur homo: judicentur gentes in conſpectu tuo. *Ib.* 9.20

Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos. *Ibid.* v. 21

Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua. *Ibid.* 95.13

Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. *Eccleſ.* 11.9

Domi-

Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & principibus ejus: vos enim depaſti eſtis vineam (*meam*), & rapina pauperis in domo veſtra. *Iſa.* 3. 14

Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit; & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſervient. *Dan.* 7. 13

Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, (*& humiliant*) viduas & pupillos: & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 3. 5

Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cælo: & tunc plagent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & majeſtate. *Matt.* 24. 30 Cap. 25. 31

Amodo videbitis filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. *Ibid.* 26. 64

Neque enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem --- Et poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt. *Joan.* 5. 22

Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti — Itaque unuſquiſque noſtrorum pro ſe rationem reddet Deo. *Rom.* 14. 10

Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. 2. *Cor.* 5. 10

Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum. *Actor.* 10. 42

Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit; fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis. *Ibid.* 17. 30

Unus eſt legiſlator, & judex, qui poteſt perdere, & liberare. *Jac.* 4. 12

Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. *Apoc.* 1. 7

Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. *Ibid.* v. 16

Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua. *Ib.* 22. 12

Ob ſocietatis jucunditatem. Vide Sancti judicabunt.

MAne, inquit, notum faciet Dominus qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi (*malos igni*), & quos elegerit, appropinquabunt ei. *Num.* 16. 5

Judicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis miſerebitur. *Deut.* 32. 36

Si — & arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. *Ibid.* v. 41

Et veniet Dominus Deus meus, omneſque Sancti cum eo. *Zach.* 14. 5

An neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis ſæcularia? 1. *Cor.* 6. 2

Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, &c. *Juda* v. 14

Ob loci gravitatem.

COngregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat: & diſceptabo cum eis ibi, &c. *Joel.* 3. 2

Conſurgant, & aſcendant Gentes in vallem Joſaphat: quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. *Ibid.* v. 12

Populi, populi, in valle conciſionis: quia juxta eſt dies Domini in valle conciſionis. *Ib.* v. 14

Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a ſummis cælorum, uſque ad terminos eorum. *Matth.* 24. 31

Horribile propter ſignorum multiplicitatem, in cæleſtibus.

ERitque repente confeſtim. A Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempeſtatis, & flammæ ignis devorantis. *Iſa.* 29. 6

Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus: reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit. *Ibid.* 66. 15

Ante faciem ejus ignis vorans, & poſt eum exurens flamma: quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti: neque eſt qui effugiat eum. *Joel.* 2. 3

A facie ejus contremuit terra, moti ſunt cæli: ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. *Ibid.* v. 10

Magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis ſuſtinebit eum? *Ib.* v. 11. c. 3. 15. Iſa. 13. 10. Ezech. 32. 7

Juxta eſt dies Domini magnus, juxta & velox nimis vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, ſuper civitates munitas, & ſuper angulos excelſos. *Soph.* 1. 7. *&* 14. Jerem. 50. 7. Amos 5. 18

Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem (*quaſi*) ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. *Malac.* 4. 1

Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur. *Mat.* 24. 20. *Luc.* 21. 25. Marc. 13. 24

Et vidi, cum aperuiſſet ſigillum ſextum: & ecce terræmotus magnus factus eſt & ſol factus eſt niger, tamquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cum a vento magno movetur. *Apoc.* 6. 12.

In tereſtribus.

ECce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. *Malach.* 4. 5

Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. *Matt.* 17. 11. Marc. 9. 10

Sedente autem eo ſuper montem Oliveti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes; Dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi? Et reſpondens Jeſus, dixit eis: . . . Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte, ne turbemini, &c. *Ibid.* 24. 3

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet. *Ib.* v. 21

Eritque in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. *Luc.* 21. 25

Vigilate itaque, omni tempore orantes ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. *Ibid.* v. 36

Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus, & pietatibus, exſpectantes & properantes in adventum diei Domini per quem cæli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent? 2. *Petr.* 3. 10

Propter judicandorum diverſitatem: Nam boni conſolabuntur.

DOminus enim Judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter: ipſe ſalvabit nos. *Iſa.* 33. 22

Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit ſcriptus in libro. *Dan.* 12. 1

Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ: & ſanitas in pennis ejus: egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento. Et calcabitis impios cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 4. 2

Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. 1. *Theſſ.* 5. 23

In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus. 2. *Tim.* 4. 8

Mali a bonis ſeparabuntur.

JUſtum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit. *Eccleſ.* 3. 17

Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus & gravis ad portandum: labia ejus repleta ſunt indignatione, & lingua ejus quaſi ignis devorans, Spiritus ejus velut torrens inundans uſque ad medium colli, ad perdendas gentes &c. *Iſa.* 30. 27

Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Matt.* 3. 12

Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis: & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos autem a ſiniſtris. *Ibid.* 25. 31

Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt? 1. *Petr.* 4. 18. Prov. 11. 31

De malitiis accuſabuntur.

REvelabunt cæli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum. *Job* 20. 27

Quid enim faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? *Ibid.* 31. 14

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. *Pſal.* 48. 6

Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit. *Eccleſ.* 12. 14

In cogitationibus enim impii interrogatio erit. *Sap.* 1. 9

In fine hominis denudatio operum illius. *Eccli.* 11. 29

Et impiis *& peccatoribus* reddet vindictam, *cuſtodiens eos in diem vindictæ.* *Ibid.* 12. 7

Ante judicium para juſtitiam tibi ... & in conſpectu Dei invenies propitiationem. *Eccli.* 18. 19.

Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam veſtram? ne incurvemini ſub vinculo & cum interfectis cadatis? *Iſa.* 10. 3

Juxta vias tuas, & juxta adinventiones tuas judicabo te, dicit Dominus. *Ezech.* 24. 14

Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur: nec factum eſt occultum, ſed ut in palam veniat. *Marc.* 4. 22. Matth. 10. 26

Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic. *Luc.* 11. 31

Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ: & ecce plus quam Jonas hic. *Ibid.* v. 32

In die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddecuicuique ſecundum opera ejus. *Rom.* 2. 5

Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit. 1. *Cor.* 3. 13

Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium: quoſdam autem & ſubſequuntur. Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt. 1. *Tim.* 5. 24

Et vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum. *Apoc.* 20. 12

Cum malis ſociabuntur.

VÆ deſiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini iſta tenebræ, & non lux. *Amos* 15. 18

Tunc dicet & his, qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. *Matt.* 25. 34

Propter temporis velocitatem & ignorantiam.

ET erit dies una, quæ nota eſt Domino. *Zach.* 14. 7

Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem: ita erit adventus Filii hominis. *Matt.* 24. 27. Malach. 3. 2

De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi Pater ſolus. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo intravit Noe in Arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii homini, *Matt.* v. 36. (*ſicut habetur* cap. 25. v. 6.) Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei. Cap. 24. 42

De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater, &c. *Marc.* 13: 32

Non venit regnum Dei cum obſervatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. *Luc.* 17. 20 Ibid. 12. 40

Et ſicut factum eſt in diebus Noe: ita erit & in diebus Filii hominis. *Ibid.* v. 26

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. *Ibid.* 21. 34

De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habentis, & non effugient. Vos autem fratres, non eſtis in tenebris, ut vos dies illa, tamquam fur comprehendat. 1. *Theſſ.* 5

Adhuc enim modicum aliquantulumque eſt, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit. *Hebr.* 10. 37

Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *Actor.* 1. 7

Ecce judex ante januam aſſiſtit. *Jacob.* 5. 20

Adveniet autem dies Domini ut fur. 2. *Petr.* 3. 10

Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. *Apoc.* 16. 15. Cap. 3. 3

Omnes homines judicabuntur in illo extremo judicio.

COngregabuntur *in judicio extremo* omnes gentes. *Matt.* 25. 32. Rom. 2. 5. 1. Cor. 13. 1. Tim. 5. 24. Apoc. 20. 12

Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. 1. *Cor.* 5. 10 Rom. 14. 10

Judicantur animæ ſtatim poſt mortem.

STatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium. *Hebr.* 9. 27

In fine hominis denudatio operum ejus. *Eccli.* 11. 29

Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt inferno. *Luc.* 16. 22

Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. *Job* 21. 13

Judicium humanum debet præcedere deliberatio & cognitio.

CUi (*Adam*) dixit Dominus: Quis enim indicavit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti? *Gen.* 3. 11. c. 18. 21

In turris Babel ædificatione ſuperborum faſtus & lingua confunditur. Ibid. 11

Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus exaudivi, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus: & ſciens dolorem ejus, deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, &c. *Exod.* 3. 7

Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio, plurimorum adquieſces ſententiæ, ut a vero devies. *Ibid.* 23. 2

Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſive uxor quæ eſt in ſinu tuo, amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus & ſerviamus Diis alienis, quos ignoras tu & patres tui, &c. non adquieſcas ei, nec audies, nec parcat ei oculus tuus, ut miſerearis & occultes eum. Sed ſtatim interficies, &c. *Deu.* 13. 6

Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, &c. ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. *Ibid.* 17. 8

Cumque diligentiſſime perſcrutantes, invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium: reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui. *Ibid.* 19. 18. Judic. 20. 3. 12

Ait Joſue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſponditque Achan Joſue, & dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Iſrael, & ſic & ſic feci. *Joſue* 7. 19

Timor Domini odit malum, arrogantiam & ſuperbiam & viam pravam, & os bilingue deteſtor. *Prov.* 8. 13

Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam: & cum interrogaveris, corripe juſte. Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum: & in medio ſermonum ne adjicias loqui. *Eccli.* 11. 7

Et dixit ad eos Daniel (*ſcilicet populum judicantem Suſannam ex falſo judicum teſtimonio*) Separate illos ab invicem procul, & dijudicabo eos, &c. *Dan.* 13. 51. 1. Mach. 7. 7

Judicium humanum digne culpatur.

ET ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. *Matth.* 5. 40

Omni autem petenti te tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. *Luc.* 6. 30

Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? ſed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. 1. *Cor.* 6. 7

Juſte ordinatur, cauſſam diligenter examinando.

PRovide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, &c. qui judicent populum omni tempore. *Exod.* 18. 21

Judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis — ut judicent populum juſto judicio, nec in alteram partem declinent. *Deut.* 16. 18

Cauſſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. *Job* 29. 16

Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia. *Prov.* 28. 5

Prudenter exequendo.

JUſte judica proximo tuo. *Lev.* 19. 15

Juſte, quod juſtum eſt perſequeris: ut vivas & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. *Deut.* 16. 20

Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille. *Ib.* 17. 8

Si fuerit cauſſa inter aliquos, & interpellaverint judices: quem juſtum eſſe perſpexerint, illi juſtitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis — Pro menſura peccati erit & plagarum modus. *Ibid.* 25. 1

Erudimini, qui judicatis terram. *Pſal.* 2. 10

Si vere utique juſtitiam loquimini, recte judicate filii hominum. *Ibid.* 57. 2

Uſquequo judicatis iniquitatem: & facies peccatorum ſumitis? Judicate egeno & pupillo;

humilem & pauperem juſtificate. Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate. *Pſalm.* 81. v. 2. 3. & 4

Judicium determinat cauſſas. *Prov.* 26. 10

Diligite juſtitiam qui judicatis terram. *Sap.* 1. 1. 3. Reg. 3. 9

Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua. *Eccli.* 7. 6

Cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos. *Sap.* 12. 18

Non judices contra judices, quoniam ſecundum quod juſtum eſt, judicat. *Eccli.* 8. 17

Judicate mane judicium: & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis. *Jerem.* 21. 12. Iſa. 56. 1. Jerem. 22. 3

Judicium non judicate. *Zach.* 7. 9

Veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris. *Ibid.* 8. 16

Teſtor coram Deo, & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 1. *Tim.* 5. 21

Judicium humanum depravatur amore.

NOn ſuſcipies vocem mendacii: nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium. *Exod.* 23. 1

Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum adquieſces ſententiæ, ut a vero devies. Pauperis quoque non miſereberis in judicio. *Ibid.* v. 2

Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. *Lev.* 19. 15

Æquum judicium ſit inter vos, ſive peregrinus, ſive civis peccaverit: quia ego ſum Dominus Deus veſter. *Ibid.* 24. 22

Quod juſtum eſt judicate: ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt. *Deut.* 1. 16

Non pervertes judicium advenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ veſtimentum. *Ibid.* 24. 17

Accipere perſonam impii non eſt bonum, ut declines a veritate judicii. *Prov.* 18. 5

Cognoſcere perſonam in judicio non eſt bonum. *Ibid.* 24. 23

Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui cuſtodiunt, ſuccenduntur contra eum. *Ib.* 28. 4

Timore.

NOli quærere fieri judex, *ne inique factis par eſſe non poſſis*, *neque* extimeſcas faciem potentis, *& integritati tuæ ponas offendiculum.* Eccli. 7. 6

Quare reſpicis ſuper iniqua agentes: & taces devorante impio juſtiorem ſe? *Habac.* 1. 13. Et factum eſt judicium, & contradictio potentior. Propter hoc lacerata eſt lex, & non perveniet uſque ad finem judicium, quia impius prævalet adverſus juſtum, propterea egreditur judicium perverſum. Ib. v. 3.

Munere.

NOn accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, mutant verba juſtorum. *Deut.* 16. 19

Qui munera ſuper innocentem non accepit. *Pſalm.* 14. 5

Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicii. *Prov.* 17. 23

Qui cognoſcit in judicio faciem, non benefacit: iſte pro buccella panis deſerit veritatem. *Ibid.* 28. 21

Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant & cauſſa viduæ non ingreditur ad illos. *Iſa.* 1. 23

Principes ejus in muneribus judicabant, & ſacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, &c. *Mich.* 3. 11

Princeps poſtulat & judex in reddendo eſt. *Ibid.* 7. 3

Odio.

INſontem & juſtum non occides. *Exod.* 23. 7

Judicium juſtum ſalubriter remuneratur.

GAudium juſto eſt facere judicium. *Prov.* 21. 15

In judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quam mater. *Eccli.* 4. 10

Judex ſapiens judicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit. Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus: & qualis rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea. *Ibid.* 10. 1

Et judices ſinguli ſuo nomine, quorum non eſt corruptum cor; qui non averſi ſunt a Domino, ut ſit memoria illorum in benedictione, &c. *Ibid.* 46. 13

Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus. *Iſa.* 1. 17

Facite judicium & juſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris: & advenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque opprimatis inique: & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto. *Jerem.* 22. 3

Si enim facientes feceritis verbum iſtud: ingredientur per portas domus hujus Reges ſedentes de genere David ſuper thronum ejus. *Ibid.* v. 4

Injuſtum graviter punitur.

MAledictus, qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ. *Deut.* 27. 19

Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum. *Prov.* 17. 15

Audite ergo reges (*terræ*), & intelligite, diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. *Sap.* 6. 2

Concupiſcentia ſpadonis devirginabit juvenculam: ſic qui facit per vim judiciũ iniquum. *Eccli.* 20. 2

Væ ... qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti auferτis ab eo. *Iſa.* 5. 23

Væ, qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt: ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium? &c. *Ibid.* 10. 1

Quia ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocauſto. *Ibid.* 16. 8

Cauſſam viduæ non judicaverunt, cauſſam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? &c. *Jerem.* 5. 28

Quoniam convertiſtis in amaritudinem, judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium, qui lætamini in nihilo ... Ecce enim ſuſcitabo ſuper vos domus Iſrael, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: & conterent vos. *Amos* 6. 13

Judicium hominum. Vide Opinio.

TITULUS XXXII.

Judicum officium & poteſtas.

ALtera autem die ſedit Moyſes, ut judicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi a mane uſque ad veſperam. *Exod.* 18. 13. Provide autem de omni plebe viros potentes: (*ſc. ſapientes*) & timentes Deum, in quibus ſit veritas, qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo judicent, leviuſque ſit tibi, partito in alios onere. Ib. v. 21.

Proponuntur præcepta judicialia quoad emptitios, ſervos, & ancillas, furta, homicidia, parricidia: parentum maledicta, rixas & taliones, &c. Ibid. 21.

Furti damnique illati pœna, depoſiti, commodati atque ſtupri lex, idololatriæ ſupplicium, advenæ, viduæ, & pupillis nocentium pœna: mutui, uſuræ, & pignoris lex ac obedientiæ & decimarum proponuntur. Ibid. 22.

Proponuntur leges præfixæ judicibus: bos & aſinus inimici ſervandus: non accipienda judicibus munera, &c. de anni & diei ſeptimi quiete, tribuſque feſtis præcipuis, de Angelo in ducem itineris præmittendo, & præmio ſervantium præcepta tractatur. Ibid. 23.

Non facies quod iniquum eſt, nec injuſte judicabis. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Juſte judica proximo tuo, &c. *Lev.* 19. 15

Locutuſque eſt Moyſes ad filios Iſrael, & eduxerunt eum (*ſcilicet filium mulieris Iſraelitidis quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſrael*) qui blaſphemaverat, extra caſtra, ac lapidibus oppreſſerunt filii Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi. *Ibid.* 24. 23

Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris, ut ponam eos vobis principes. *Deut.* 1. 17. Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod juſtum eſt judicate: civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt. Ibid. v. 16.

Judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas: ut judicent populum juſto judicio. *Ibid.* 16. 18. *Item* Cap. 17. *deſcribuntur variæ leges, &c.*

Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies. *Ibid.* 18. 15

Si fuerit cauſſa inter aliquos, & interpellaverint judices: quem juſtum eſſe perſpexerint, illi juſtitiæ palmam dabunt, quem impium, condemnabunt impietatis. Si autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis; proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura pec-